

**Programma invitatorium de rhythmis Basilio Valentini primum dissertationi inaugurali de arthritide ... labendae praemissum / [Hermann Friedrich Teichmeyer].**

**Contributors**

Teichmeyer, Hermann Friedrich, 1685-1744.  
Universität Jena.

**Publication/Creation**

Jenae : Litteris Hornianis, [1733]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/nch3pbrh>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

MEDICAE FACULTATIS DECANI  
**HERMANNI FRIDERICI  
TEICHMEYERI**

PHILOS. ET MED. DOCTORIS, ANATOMIAE, CHI-  
RURGIAE AC BOTANICES PROF. PVBL. ORDINARII, SERENISSIMO-  
RVM SAXONIAE DVCVM VINARIENS. ET ISNACENCENSIS CONSIL,  
AVLICI ET ARCHIATRI, ACAD. IMPERIAL. LEOPOLD.  
CAROLIN. AC SOC. SCIENT. REG.  
BORVSS. SODALIS

PROGRAMMA INVITATORIVM  
DE  
**RHYTHMIS BASILII  
VALENTINI  
PRIMUM**

DISSERTATIONI INAUGVRALI  
DE  
**ARTHRITIDE**  
DIE VII. FEBRVARII, M DCC XXXIII.  
HABENDAE  
P R A E M I S S V M

---

IENAE, DOMIN. SEPTVAGES.

---

LITTERIS HORNIANIS.



I. N. 7.

**B**

ASILIVM VALENTINVM auctorem esse classicum, immo præcipuum scriptorum ex patribus artis divinæ, Chemiæ, apud omnes in confesso est. Ipse B. noster WEDELIVS, vir æternæ memoriæ dignus, hoc de laudato auctore testatur. Scripta ejus vere aurea sunt, & thesaurum continent omnium, immo pretiosissimorum & præstantissimorum remediorum, quæ vel in hunc usque diem in officinis pharmaceuticis, bene constitutis, prostant, vel ad hujus viri methodum, tanquam specifica, a celebratissimis Chemicis elaborantur. B. V. semper mihi in deliciis fuit, & quemadmodum magnus KERKRINGIVS commentatus est in ejus Currum triumphalem antimoniæ, ita mecum constitui, exiguas meas meditationes in rhythmos cum orbe erudito communicare. Faxit vero D. T. O. M. ut hoc fiat feliciter, ac imprimis in nominis sui immensam gloriam. Initium faciam de primo rhythmo, qui extat p. 64. edit. D. D. Petræi, ubi auctor loquitur de materia prima lapidis. Textus ita sese habet:

*Ein*

Ein Stein vvirrd funden, ist nicht theur,  
 Aus dem zeucht man ein flüchtigs Feur,  
 Davon der Stein selbst ist gemacht,  
 Von vveifs und roth zusammen bracht.  
 Es ist ein Stein, und doch kein Stein.  
 In ihm vvürckt die Natur allein,

Reliqua proxime B. C. D. sequentur.

Inquit B. V. reperitur lapis, minus pretiosus. Passim de lapidibus loquitur, id quod suo tempore videbimus. Sub lapidis termino vero non intelligit saxum, neque lapidem pretiosum, neque mineram, minerale, & venam metallicam, sed sal potius. Nam ipse lapis Philosophorum, maximum illud arcanum chemicum \*, sub duplici forma apparet: 1. sub forma salina ante ita dictam confirmationem \*\*. 2. sub forma vitri post confirmationem. Ante con-

\* Teste auctore, p. 58. so hast du eine Materie, so rechtswegen keinen andern Namen haben kan, denn der grosse Stein der Welt, welcher menschliche und metallische Leiber durchgeheth, wie ein Geist: Ist eine Universal Medicin ohne Mangel; denn sie treibt das Böse aus, und erhält das Gute: Ist auch eine Verbesserung, daß das Böse, zugleich mit dem Guten, gut werden muß: Seine Farbe zeucht sich von der durchsichtigen Röthe auf die Dunkelbraune, von der Rubin-Farbe auf Granaten, und in der Schwere ist er mächtig und überwichtig.

\*\* Hanc docet p. 63. Wann die Medicin und zugerichteter wohlbereiteter Stein aller Weisen, aus der rechten Jungfrauen-Milch, gemacht worden, und vollständig bereitet ist, so nimm derer ein Theil, des allerbesten und feinsten Goldes, durch das Antimonium gegossen, und purgiret, drey Theil, das schlage ganz dünne, als immer möglich ist zu schlagen: Thue es zusammen in ein Geschirr, da man Metallen in zu schmelzen pfleget, gib ihm anfänglich ein gelindes subriles Feuer zwölff Stunden, alsdann laß sie fließen drey Tag und Nacht continue, so ist das purgirte Gold und Stein zu lauter Medicin worden, ganz subtiler spiritualischer und durchdringender Eigenschaft. Denn ohne Ferment des Goldes kan der Stein nicht wohl würcken, oder seine Tinctur erzeugen; denn er zu subtil und durchdringend.

confirmationem L. P. sal est. Nam componitur ex spiritu quodam, sive principio, volatili aut ita dicto mercurio, & sulphure, & sale quodam fixo \* pellucido, depuratissimo. Ante confirmationem sal est mediæ naturæ, non facile fumans, supra laminam candentem. Sal est, & quidem spirituosum, penetrantissimum, in omnibus liquoribus solubile. Est sal concentratissimum, cujus dosis vix centesimam grani partem continet. Ideo nunquam in forma solida propinatur, sed potius in liquido quodam solutum, exhibetur. Materia minus pretiosa est. Hoc asseritur serio ab auctore nostro\*\*.

Dicit B. V. lapis *reperitur*. Ergo non loquitur de arte facta quadam materia, sed de nativa. Habemus varia salia, ita dicta, nativa mineralia, ad quæ referuntur Vitriolum, Sal commune, Nitrum, Alumen, Borrax. Valde dubito, an unquam extiterit borracis sal nativum, quia elaboratio borracis secretissima est. Est Sal compositum artefactum.

Simile

\* Teste auctore, p. 68. Ich habe Meldung gethan und angezeigt, daß alle Dinge aus dreyen Wesen zusammen gesetzt und gemacht sind, als aus Mercurio, Sulphure und Sale, und das ist wahr, was ich gelehret habe. Du solt aber wissen darneben, daß der Stein gemacht wird aus Einem, Zweyen, Dreyen, Vier und Fünffen. Aus Fünffen, das ist die quinta Essentia seines Wesens. Aus Vieren, werden verstanden die vier Elementa. Aus Dreyen, das sind die drey anfahende Dinge. Aus Zweyen; denn es ist eine zweyfache mercurialische Substanz. Aus Einem, das ist das erste aller Dinge, das aus dem Wort der ersten Schöpfung, es werde, hergestossen ist.

\*\* P. 74. Dieweil die Materia schlecht, und das Werck geringe, 2c. P. 75. Schlecht ist unser Ofen, schlecht ist unser Feuer, und schlecht ist unsere Materia, &c. P. 60. Und wann die Materia zu Tage kommet, so ist sie nicht theuer, und ist an allen Orten zu finden, ja die Kinder spielen damit, sie ist schwer, und hat einen Geruch der Todten-Cörper, um einen halben Gulden kauffst du (in antiqua editione extat um 2. Gulden) diese Materiam zu dem Werck. Derowegen nimm die Materiam, calcinire und mache sie zu Aschen; dann welcher Artist keine Aschen hat, der kan auch kein Saltz machen, und wer kein metallisches Saltz hat, der kan auch nicht den Mercurium Philosophorum machen.

Simile quid dicendum de alumine. Etenim paratur ex lapidibus calcinatis, aëri expositis, atque urina humana. Nitrum verum vix unquam nativum reperitur, & aphronitrum, quod ad instar lanuginis saxis hinc inde adhæret, atque ex iis excrescit, non perfectam cum nitro elixato, cocto, & crystallifato habet convenientiam. Ergo de salibus hisce, utpote plerumque arte factis, auctor noster nullum indicavit. Porro non intelligere potest sub hoc lapide Sal gemmæ, quod quidem nativum est, & in stratis montium Poloniæ, Transylvaniæ, &c. sat copiose reperitur. Nam inquit: Ex hoc lapide extrahitur ignis volatilis. Est quidem in Sale gemmæ spiritus, valde acidus, qui concentratus, oleum quoddam viscosum, valde corrosivum, constituit; sed ejus natura non satis ignea est. Ergo modo in numero salium mineralium restat ipsum vitriolum, quod verum spiritum igneum continet. De Vitriolo loquitur Lib. III. vom Universal der ganzen Welt \*, & ibi indicavit etiam patriam ejus veram, id quod fecit quoque Mynsichtus, in suo Testamento. Vitriolum nativum datur partim in fodinis Goslariæ, ubi Jöckel vocatur, partim in Fodinis Misniæ, zum Graul, im Schwarzenbergischen Berg-Amt, imprimis in fodinis Hungariæ, quod ditissimum est, & semen auri copiosissimum continet, atque ad instar aluminis plumosi effoditur. Hæc minera in interstitiis suis

\* P. 715. Derohalben mercke wohl, und nimm in Acht, daß alle Metallen und Mineralien nur eine einige Wurzel haben, daraus sie allesamt ins gemein geboren worden, und wer solche recht kenne, dem ist nicht nöthig, die Metallen selbst in Zerstorung zu bringen, daß aus einem der Geist, aus dem andern der Sulphur, und aus den dritten das Salt gezogen und genommen werde. 2c. P. 738. Wie du hören wirst, wenn ich dir jeko kürzlich nach diesen von einem mineralischen Vitriol, so in Ungarn ganz schön und hoch gradirt gefunden wird, Erzählung und wahren Bericht thun werde. 2c. P. 742. Wenn du nun ein solch hoch gradirtes, und wohl gereinigtes Mineral, so Vitriol genannt, überkommen hast, so bitte Gott um Verstand und Weisheit zu deinem Vorhaben, 2c.

nitidissimum sal vitriolicum interdum continet. Ex hoc sale, mediante destillatione, impetratur ignis volatilis, sive spiritus, qui, in nebulis albicantibus, ignis tortura impetratur, atque ultimato in oleum rubicundum, viscosum, atque obscurum, notabiliter ponderosum, convertitur, cujus specifica gravitas gravitatem omnium liquidorum fere superat. Hocce oleum ignis ille volatilis est, quem indicavit B. V. Hoc oleum omnia comburit, corrodit, destruit, ipsa etiam metalla. Sunt quidem Philosophi, qui in dubium vocant thesin illam, quod in igne acidum sit; sed multum abest, ut vera sit Philosophia. Nostram theoriam proposuit B. V. & ex hoc fonte eam desumimus. Docet auctor noster veritatem, quam ipsa experientia confirmat. Etenim si oleum vitrioli rectificatum in liquorem pellucidum & limpidissimum convertitur, vel, uti B. V. in nostris rhythmis loquitur, daß daraus springt ein Brünnein klar, tunc una gutta instillata in volam manus, aqua prius humectatam, sensum excitat ardentissimum ad instar prunæ. Ergo sensus calor adest, & ignis. Hoc scio equidem, & insuper, in Elementis meis physicis, ostendi, quod ad flammam producendam requiratur oleum simul, quod cum acido conjunctum, in flammam erumpit, quemadmodum hoc observamus in mixtura spiritus nitri, oleo vitrioli rectificatissimo parati, & olei caryophyllorum. Pergit auctor noster, quod lapis ille sit ex hoc igne in visceribus terræ compositus. Etenim spiritus ille subterraneus, sive acidum universale, quando in cryptis subterraneis deprehendit terram vel martialem vel veneream, statim sese cum illis conjungit, & vitriolum gignit. Hic lapis albus est, & ruber, von weiß und roth zusammen bracht. Etenim vitriolum, in aëre calcinatum, resolvitur in farinam; caput mortuum autem post destillationem relictum, rubicundissimum est, ex quo certo artificio sal fixum niveum extrahitur. Oleum vitrioli sanguinei coleris, absque omni additione, in aquam limpi-

limpidissimam convertitur. Pergit auctor, quod materia quidem lapis sit, nec tamen verus lapis. Hoc etiam verissimum est. Etenim si vitriolum nativum Hungaricum, ex minera solutione & filtratione paratum, in Cucurbitam magnam vitream immittitur, & igne arenæ liquefcit, concrescit, phlegmate per destillationem separato, in massam solidissimam cinerei coloris, & faxæ soliditatis. Ergo est lapis. Est vero non verus lapis, quoniam diffluit in aqua, quæ hunc lapidem solvit. Ita egregie, quamvis obscure, auctor descripsit materiæ characteres. Hic lapis centrum est naturæ, omnesque naturæ vires continet in ihm würckft die Natur allein. Nam nihil est in mundo, quod non ab hoc spiritu resolvitur, & intime destruitur. In hoc spiritu latitat maxima vis medicinalis anodyna, confortans, & bezoardica, ut hoc alio tempore videbimus.

Hæc proponere volui occasione Dissertationis inauguralis Clarissimi artis medicæ candidati,

# HEINRICI PETRI EICHMANNI.

Editus est in lucem *Herzbergæ*, anno hujus sæculi octavo, die 21. Decembris, patre GODOFREDO SAMVELE EICHMANNO, pharmacopola expertissimo, matre AGNE-SA MARIA RAVSCHENPLATEN, viri Consultissimi, LV-DOLPHI ALBERTI RAVSCHENPLATEN Patricii Göttingensis filia. Hi salutem ejus cordi habentes, statim privati præceptoribus ipsum, in pietate, & lingua Latina erudiendum, tradiderunt. Adultis sic magis profectibus, missus est ad Göttingense Gymnasium, in quo duces habuit viros, in re literaria optime meritos, Dn. D. HEVMANNVM,  
Professo-

Professorem Theologiæ maxime reverendum, Dn. STEMP-  
 PELIVM, P. Math. Dn. LEONHARDI, Eloq. Prof. Dn.  
 WAEHNERVM, Conrectorem, quibus pro omnibus beneficiis  
 magnopere se obstrictum profitetur. Anno vigesimo nono,  
 mense Aprili, Salanam nostram salutavit, & t. t. Pro-Rectore  
 Magnifico, & Consiliario aulico, Brücknero, in numerum  
 civium receptus est. Studio medico operam navaturus,  
 sectatus est Celeb. D. & P. P. O. HAMBERGERVM in  
 Physicis, Mathematicis, Physiologicis, Pathologicis, Ana-  
 tomicis, Semicticis, Chemicis; Illust. Consiliarium aulicum,  
 WEDELIVM in Pathologicis, in specie in doctrina de Inflama-  
 tionibus, & Exulcerationibus Excellentiss. & Celeber. Dn. D.  
 & P. HILSCHERVM in Physiologicis, & Materia Medica. Nec  
 minus meas scholas Botanicas, & Physiologicas visitavit,  
 ac quinque anatomiis publicis diversi sexus, a me insti-  
 tutis, interfuit. Cæterum ex conjunctissima amicitia, & pri-  
 vatissima manuuctione in praxi Dn. D. Tannebergeri  
 multum profecit. Ante aliquot menses in numerum can-  
 didatorum a Facultate nostra receptus est, & in examini-  
 bus acquisitam in arte peritiam, & maturos profectus  
 abunde comprobavit. Restat Dissertatio inauguralis, quam  
 de *Arthritide*, die 7. Februarii, meo sub præsidio habebit,  
 ad quem actum solemnem Magnificum academiæ Pro-  
 Rectorem, Illustrissimos S. R. J. Comites, academiæ Pro-  
 cures, & omnes artis nostræ fautores percfficiose & per-  
 amanter nomine collegii mei invito. P. P. sub sigillo  
 Facultatis. Jenæ, Dominica Septuages.

M DCC XXXIII,

(L. S.)